



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

VI. Avgvsti. CC. MM.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

CC MM. hac occasione ad palmam martyrij peruenere. Ad insigne & clarissimum Coenobium S. Petri à Cardegnà acies dirigebat Zafa Rex Arabum, vbi ducenti monachi degebant sub disciplinâ Stephani Sanctii Abbatis, viri probi, & religiosi, instituta S. Patris Benedicti sequentes. Erat autem huic Tyranno inuisum & exosum genus omne monachorum, vt qui arctius Christianam professionem sequerentur, & alios ad eiusdem obseruantiam firmis continendam, verbo & exemplo hortarentur. Tentat Abbatem, & Monachos Zapha blanditijs, deinde minis: sed ab Abbate Stephano Sanctio confortati monachi, & animati exemplo SS. Iusti & Pastoris, quorum natalicia illo die celebrabat Ecclesia Hispanica, quorum alter tredecim, alter septem annorum ætatis, non inquisiti se vltro obtulerant iudici, & tanta constantiâ martyrium pertulerunt, esse verecundum, à pueris tenerâ ad eò ætate, grandes superari, insistendum eorum vestigijs, & multorum monachorum, qui Cordubæ necem pro Christo pertulerunt sponte. Omnes igitur in parte claustrî congregati vnanimis Christum confessi, & Mahometum, & eius spurcam legem execrantes, Ismaëliarum gladijs ducenti Monachi cum Abbate Stephano Sanctio, vno die pro Christi fide tuendâ, confossi, & iugulati crudelissimè fuere. Coenobium euersum, supellex direpta, vestes & vasa sacra sublata.

Contigit hoc facinus anno C. DCCCLXXXIV.

*Ex Alfonso Giac. cap. 13. de
200. Mart.*



CC. MARTYRES Ordinis S. Benedicti Mon.
 S. Petri a Cardegnia cum Stephano Sanctia Ab.
 bace an. 872. die 6. Augusti a Saracen. interfecti.

Handwritten notes on the right edge of the page, including the word "Benedict" and the Roman numeral "III".

S. HIERON.

O 3

XVII. AVGV-

M.